



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

**Agobardus <Lugdunensis>**

**Parisiis, 1666**

II. Aviti Episcopi Viennensis epistola ad Gundobadum Regem Burgundionum. Ex eodem codice MS. Epistola Aviti Episcopi ad Domnum Regem facta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14657**

nobis præparet, & membranas. Quia, si Deus annuit, Quadragesimam in Insula cum iplo tenere disponimus, ut opus cœptum ibidem pariter residentes expediamus. Interim trecentos modios annonæ, & ducentos modios vini, ducentas libras calci, & centum libras olei, ordina ipsi dari; ut cum per nostram oblatiunculam ipse unâ cum congregatione sua reficitur, nobis reditus cum solpitate ipsis orantibus à Domino tribuatur.

## I I.

Aviti Episcopi Viennensis epistola ad  
Gundobadum Regem Bur-  
gundionum.

*Ex eodem codice M S.*

*Epistola Aviti Episcopi ad Dominum  
Regem facta.*

**A**VITVS Episcopus Domno Regi. Quæstio quam pietas vestra discredendam proposuit, tota prorsus ad interiorem figuram spiritali consideratione referenda est. Neque enim illud centuplicato scœnore promittitur reformandum, quod unusquisque animo miserendi alimoniam pauperum pia professione contulerit. Quia & in hac ipsa elemosynaria largitate, in qua operantis sensus potiùs quàm census aspicitur, non est doni quantitas pensanda, sed studij. Quo factum est per evangelicam lectionem, ut infinitis auri argentique donariis paupertina numi duplicis præferatur oblatio. Quæ si utique viduæ donatrici ad mensuram centupli redderetur, sine dubio cunctis minùs reciperet, quæ minùs omnibus intulisset. Vnde & sanctus Petrus cum dixisset, *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te*, qui certè, sicut lectio docet, nihil aliud quàm retia reliquerat, quibus tenuem victum piscandi artificio transigebat, responsum illi est: *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet.*

*vitam æternam possidebit.* Namque cùm in Scripturis centenarius numerus omni perfectione sacratuſ sit, discernite quòd reddantur in centuplum, non quæ tribuuntur Christi nomine, sed quæ pro Christi nomine relinquuntur. Quia licèt magna salutaris profit merces elemosynæ, incomparabiliter tamen majus est omnia dimittere, quàm plurima dispensare. Quocirca definiat gloria vestra de solo istud martyrio prædicari, cujus coronæ nullum penitèſ meritum humani operis exæquatur. Iste est centesimus fructus; qui in futuro quidem vitam æternam expectat, sed in præſenti quoque seculo illatas martyribus contumelias mirificato honore compensat. Vnde & alio Evangelij loco dominicus sermo testatur quòd ad centenariam frugem cadens in terram bonam nutritæ sementis germen exierit. Parentes ergo, uxorem, vel filios, sive fratres, pro Christi tantum consecrat nomine relinquendos, id est, cùm pro adferenda nominis confessione, non tantum hujusmodi necessitudinum, sed animarum quoque nobis corporumque facienda jactura sit. De qua divisione idem Dominus alio loco: *Veni, inquit, separare filios adversus parentes, nurum adversus socrum.* id est, ut quorumlibet affectuum personæ, tendentibus nobis ad Christum, si comitari noluerint, deserantur. Excepto autem hoc sensu, propinquitates istas non semper nobis ut præjudicatas debere dimitti, & exemplis & ratione colligitur. Nec enim & illi propinqui dimittendi sunt, qui ad cælestes coronas contemptu seculi calcata morte festinant. Neque suadere fidelibus possumus ut conjugia vel parentes abiciant, cùm Dominus clamet quòd non liceat homini dimittere uxorem. *Et quod Deus, inquit, conjunxit, homo non separet.* Et Apostolus protestatur quòd qui suis & maximè propinquis non providet, fidem negat, sitque deterior infideli. Dominum Petrus, Petrum conjux propria sequebatur. Cessante carnali usu, manebat spiritale solatium. Et comitante se Andrea germano, nec fratrem nec uxorem dimiserat, in quorum contubernio Christi vestigiis adhærebat. Quapropter personas hujusmodi non obesse nobis, sed impedire, timendum est. Nam cùm omnino hominum generi, ordini, dignitati obtinendum cæleste regnum divinus sermo proponat; est temerarius prædicator, necessitati Prin-

cipum, quæ regnum divinis nutibus administrat, si omnia quæ supra diximus relinquenda suaserit, cum tamen etiam personis hujus culminis contemptus mundi suggeri & cælorum regnum debeat repromitti, Apostolo, sicut recollitis, protestante locupletibus ut divites sint in operibus bonis, & thesaurizent sibi fundamentum bonum, ut apprehendant veram vitam. Quibus secundum hanc sententiam agrorum sive reddituum & prodesse usus poterit, si non nocuerit appetitus. Est tamen & aliud sanctitatis genus, in quo si tempus persecutionis assistat, martyrium quoddam plena confessio queat imitari. Si quis enim antiquam parentum consuetudinem sive sectam melius credendo commutet, nec teneatur privilegio consuetudinis, cum Veritas provocat ad dilectionem salutis; utiliter hic parentes, fratres, sororesque dimittit; velut Abraham dives, qui cunctis cælestibus donis fruens, filiis, famulis, auro, argento, patrimonio, matrimonio rectè usus, patriæ se tamen & cognationi suæ voto mutandæ religionis excussit, & imminente jam senio, signum Circumcisionis, quo Christianitas figurabatur, accipiens, profectos jam per aetatem conversione pueros fieri posse præmonuit. De quibus & propheticus sermo: *Puer*, inquit, *centum annorum morietur*. id est, centuplum accipiet quod puer factus est: quem præfata sacri numeri pluralitate præstantem, sicut ætate matura vivendi novitas fecit puerum, sic custodita renovatio immortalis faciet longævitate profectum.

